

## Quaestionum Lysiacarum specimen.

Scripsit

Fr. Kirchner.

a. 1869.

### I.

Octava Lysiae oratio et argumento et sermone tam obscura plerisque visa est vix ut eam concederent esse Lysiae. sed vereor ne illi celerius quam verius iudicaverint. neque enim debebant iudicium facere priusquam difficiles orationis partes accuratius perquisivissent. nam est ea foedissimis mendis inquinata: quae ego etsi non spero me ita sublaturum esse ut semper ipsius Lysiae manus detegatur, at certe in eo elaborabo ut verba quae-ram quae aliquem habeant intellectum neque a vero multum aberrare videantur.

Ne autem mutandi ea quae in codicibus scripta sunt cupidior videar, initium huius scriptionis a vocabuli cuiusdam, ut puto, Lysiacci defensione faciam. prima enim orationis verba haec sunt: Ἐπιτήδειόν μοι δοκῶ καιρὸν εἰληφέναι περὶ ὧν εἰπεῖν ἔβου-λόμην πάλαι, πάρεσι μὲν γὰρ οἷς ἐπεγαλιῶ. in his ἐπεγαλιῶν verbum Hölshero [de vita et scriptis Lysiae p. 72] adeo displicuit ut illud in causis numeraret cur Lysias auctor orationis non esset. Scheibius pro eo quod in libris est scripsit ἐγκαλιῶ. sed ut praetermittam ἐπαναγγνώσκεν verbum similiter compositum et aequae rarum, quod erat apud Lysiam antequam pro ἐπανάγνωθι quod libri habent ex coniectura P. R. Mülleri a Frohbergero, cuius nuper alterum selectarum Lysiae orationum volumen prodiit, εἰ δ' ἀνάγνωθι vocabula in decimam orationem [18] recepta sunt: cur ἐπεγαλιῶν non possit esse 'contra aliquem accusationem vel convicia facere', sicut ἐπεγγελαῶν [sive κατὰ τινος] est 'risu aliquem persequi', ἐπανάγειν in re maritima 'classem contra hostem ducere', ἐπεκθεῖν et ἐπεκτρέχειν 'contra aliquem eruptionem facere', ἐπεξιώναι et ἐπεξελεθεῖν in re forensi 'agere contra aliquem' vel 'iudicio eum persequi', qua notione instructa haec vocabula sunt apud ipsum Lysiam identidem [10, 2 et 31. 23, 14 31, 18. 27, 15. fragm. 8]. similia optimorum scriptorum exempla facile est colligere,

si res postulet. *ἐπεκαλεῖν* autem ita ut declaravi apud Lysiam apte dicitur. etenim orator ab eis quos amicos esse putabat initio occultis, postea apertis calumniis vexatus erat: qua de causa tota hac oratione sui purgandi causa suas contra illos criminationes exponit. dicit igitur haec 'adsunt ei contra quos meas criminationes proferre volo' vel 'adsunt ei quibus meam accusationem opono'.

Illud igitur verbum reddendum Lysiae esse censeo: sed sequuntur quae nisi emendantur intellegi nequeant: *πάρεισι δὲ ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ. καίτοι πολλῶ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας.* in his *καίτοι* particula Lysias non videtur usus esse. *καίτοι* enim in centum fere et quinque exemplis omnibus quae ex triginta quattuor orationibus Lysiacis collegi praeter pauca ea de quibus sigillatim dicam aut orditur talem sententiam quali superiora restringantur, ut ita dicam, vel corrigantur vel omnino eis aliquid opponatur, respondetque illa particula Latinorum 'quamquam': aut est in conclusione Latinorum 'atqui', Germanorum 'nun aber', ita ut post propositionem indicet initium assumptionis. ne autem ariolari videar, in usum eorum qui ipsi hanc rem perscrutari volent nonnulla utriusque generis exempla adscribo, ac prioris quidem haec 3,22. 6,10. 7,22. 7,32. 12,47. 12,57. 17,4. 26,16. 30,18. 31,26, alterius haec 31,22. 28,10. 27,3. 24,12. 24,2. 22,16. 20,34. 20,27. 13,22. 1,42. plurimorum autem exemplorum ratio ita comparata est ut *καίτοι* particulam sequatur enunciatio conditionalis, sive orator ostendit quid futurum fuerit si adversarius contra fecisset atque antea insimulatus est, sive quid eventurum sit si id fiat quod adversarii cupiant, vel quid oporteat fieri si id verum sit de quo ante dictum est, sive aliud simile. atque apparet ad ordiendas eiusmodi sententias illam *καίτοι* particulam ea quam diximus vi praeditam maxime accommodatam esse. exempla iam in eis sunt quae supra alia de causa attuli, alia autem ex multis haec sint: 1,31. 1,40. 7,8. 13,53. 16,11. 18,8. 21,7. 23,15. 32,23. 34,2. illi autem quam explicavi notioni consentaneum est enunciatis a *καίτοι* particula incipientibus oratorem adversariorum opinionationes et mendacia refellere vel rebus gestis eorum obtrectare aut iudices populumve Atheniensium reprehendere vel sententias eorum vituperatis contrariis sententiis praeoccupare studere. quod re vera certis apud Lysiam exemplis omnibus confirmari ex repetita eorum disquisitione mihi persuasi.

Atqui in illis quae supra ex octava oratione adscripsi *καίτοι* particula neque restringit ea quae antecedunt neque conclusionis assumptionem efficit: immo vero additur ab oratore altera causa cur 'opportuna dicendi occasionem nactus esse' sibi videatur. altera enim causa est praesentia et eorum quibus calumnias exprobrat et eorum quibus purgare se cupit: altera causa posita est in maiore dicendi studio quod ipsa illa praesentia creari dicit. praeterea tota illorum verborum conformatio absona est a consue-

tudine dicendi quam, ubi *καίτοι* particula utitur, Lysiam amare demonstravi. scripsit igitur *καί μοι πολλῶ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας*.

Erraverunt autem librarii in ea voce haud raro. in oratione quae est contra Theomnestum [10,14] libri habent *καίτοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον*, ubi Marklandum recte scripsisse patet *καί μοι*. contra in illius orationis epitome [11,7] pro *καί γε* quod codices praebent Contius posuit *καίτοι γε*. verba enim oratoris haec fere sunt: ego mallem omnes clypeos abiecisse quam parricida putari: quamquam te vidi illud fecisse, ipse autem servavi clypeum. in quibus superiora eis quae a quamquam conjunctione incipiunt rectissime restringuntur. similiter Nicomachi sacrilegum studium sacrarum legum abolendarum et commenta eius audacia apte inter se opponuntur [30,21], postquam Reiskius *καίτοι οὗτος ὁ ἱερόσυλος*. . substituit in locum eorum quae in libris sunt *καὶ τούτοις ὁ ἱερόσυλος*. . , atque in oratione contra Andocidem scripta [6,31] Marklandus *καὶ ὅταν*. . omnibus probantibus mutavit in *καίτοι ὅταν*. . , contra in oratione funebri [2,42] orator perversam instituisset conclusionem si dixisset quae vel in recentissimis Lysiae editionibus videmus *καίτοι τίνες ἂν τούτοις τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἤρισαν γνώμη καὶ πλήθει καὶ ἀρετῇ*; sententia enim haec est: Athenienses ad pugnam Salaminiam optimum ducem Themistoclem et plurimas naves et peritissimos rerum maritimarum viros contulerunt: at qui [*καίτοι*] cum illis nemo ex reliqua Graecia certare potest: itaque merito a Graecia palmam victoriae navalis acceperunt. quae sana non sunt nisi *καίτοι* Dobreeo duce commutamus cum *καὶ γάρ*.

Ceterum interdum *καίτοι* particulae explicatio interpretibus magnum exhibuit negotium. Frohbergerus in primo volumine selectarum Lysiae orationum [p. 88] ad illustranda verba orationis quam ipse Lysias adversus Eratosthenem habuit [12,89] haec in margine inferiore subiecit: Nun aber, da die Vertheidiger die Qualität der Thaten des Eratosthenes trotz alles Aufwandes von Sophistik nicht beschönigen könnten, suchen sie wenigstens aus der Quantität ein Vertheidigungsmoment zu entnehmen. videtur igitur interpres censuisse *καίτοι* particulam in Graecis illis *καίτοι λέγουσιν, ὡς Ἐρατοσθένης ἐλάχιστα τῶν τριάκοντα κακὰ εἰργασθαι* valere 'atqui' et incohare conclusionem. sed incohata conclusio postea non absolvitur, atque sententiae oratoris potius hunc in modum cohaerent: 'difficillimum est facinora triginta virorum defendere [*καὶ μὲν δὴ*. . . ἀπολογήσασθαι]: et tamen [*καίτοι*] amici Eratosthenis dicunt eum minime ex triginta viris peccavisse ideoque censent eum servandum esse'.

Neque magis probo eiusdem interpretis similem explicationem his orationis vigesima quintae [13] verbis subiectam: *λελειτούργηκα οὐθενὸς χεῖρον τῶν πολιτῶν καίτοι διὰ τοῦτο πλείω τῶν ὑπὸ τῆς πόλεως προστατιμένων ἑδαπανώμην, ἵνα καὶ βελτίων ὑφ' ἡμῶν νομιζοίμην καί, εἴ πού μοι τις συμφορὰ γένοιτο, ἄμεινον ἀγωνιζοίμην. Ὡν ἐν τῇ*

*δλιγαρχία πάντων ἀπεισερούμην.* frustra in his conclusionem apte cohaerentem quaeras, quae aliquatenus extaret si post *ἀγωνιζοίμην* fere hanc sententiam haberemus: 'vos igitur iudices nunc certe iustam gratiam mihi referre oportet'. particulam autem illam in verbis quae attuli non posse esse 'quamquam' non est quod demonstrem. quare non dubito adsentiri Dobreeo et Herwerdeno quibus *καίτοι* perperam pro *καί* scriptum videtur.

Sed unum certe exemplum pro istis quae sustuli Lysiae confirmabo. merito enim Cobetus in editionem suam recepit *καίτοι* pro eo quod libri habent *καί* in his verbis orationis vigesimae quartae [9]: *καίτοι πῶς οὐ δεινόν ἐσσι . . .*: nam sententiae oratoris si ad simpliciore formam rediguntur hunc in modum compositae sunt: 'adversarius meus si provocaretur mecum nullo pacto facultates permutare vellet [*ἀντιδοῦναι*]. at qui contendit me propter divitias meas divitissimorum hominum societate uti: iniquum est igitur eum si provocaretur illud [*ἀντίδοσιν*] denegaturum esse'. atque ibi eo magis *καίτοι* particula placet quod paulo post [12] in sermone simillime conformato haec dicta sunt: *καίτοι πῶς οὐκ ἄιστόν ἐσσι . . .*

Quae exempla *καίτοι* particulae in libris aut perperam positae aut in suum locum revocandae impedient quominus in audaciae crimen incurram propter mutationem in oratione octava propositam. ceterum plane singulare unum est exemplum quo illam vocem eadem ratione atque *καίπερ* cum participio copulatam videmus: 'Ἰκανά μοι νομίξω εἰρησθαι, καίτοι πολλά γε παραλιπῶν [31,34].

## II.

Redeo ad octavam orationem, in qua proxima *τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἀνεπιτηθείοις ἀνεπιτήδαιοι δόξουσιν εἶναι* non uno nomine corrupta sunt. *ἀνεπιτήδειος* est infestus vel inimicus, ut *ἐπιτήδειος* saepissime amicus [Lys. 3, 11. 12, 14. 13, 19 et 92, alia]. quaecumque igitur initium istorum verborum continet, illa sententia conditionali 'si inimicis inimici videbuntur esse' vel 'si contra inimicos inimice videbuntur se gerere' dicitur res tam per se manifesta ut dicere eam prorsus supervacaneum sit, nisi forte antiquis temporibus mirum est aliquem dici inimice se gerere contra inimicum. atqui tota oratione orator eorum in se suosque calumnias aperire studet qui quamquam amicorum speciem prae se ferebant inimice tamen agebant, fuerunt igitur illi contra amicum eiusque necessarios inimici. itaque Taylora obsequendum est qui pro *ἀνεπιτηθείοις* vocabulo posuit *ἐπιτηθείοις*. errorem autem librorum ex insequenti voce ortum esse apparet.

Nunc ad priora verba regredi possumus quae qualia in libris sunt nullum intellectum praebent. ac vereor ne omnia quae homines docti pro eis scripsisse Lysiam

censuerunt non magis probabilia sint. Reiskius enim *πρό* praepositione addita scripsit *τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι προτιμήσειν*. haec aut valent 'illos enim nihil opinor praelaturos esse' aut 'illos enim nihil opinor me praelaturum esse'. sed neutrum intellegi potest, quia non audimus cui orator aut illos se praelaturum non esse aut illos nihil praelaturos esse opinetur. Emperius coniecit *τοὺς μὲν γὰρ παρ' οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν*, Westermannus *τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι διοίσειν*, Scheibius *τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι μελήσειν*. quae tres coniecturae ad eandem fere sententiam redeunt 'illos enim nihil opinor curaturos esse'. sed haec orator non potuit dicere. *γάρ* particula indicat eum velle causam afferre cur ad praesentes multo maiore cum studio loquatur et alteri quidem parti eorum quos antea praesentes dixerat causam luculentam exponit cum dicit [2] *τοῖς δὲ βουλοίμην ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερος*. qualis vero illa est causa quam Emperius et reliqui tribuunt oratori 'illos enim nihil existimo curaturos esse si cum amicis parum amice videbuntur agere'? nimirum apertum est dicendi studium non augeri si partis audientium nihil plane interest utrum laudetur an reprehendatur.

At quae debuerit fere orator dicere ex sententiarum disquisitione erui potest. gaudet ille quod adsint ei quibus se priorem iniuria affectum ab improbis amicis esse declaraturus sit: gaudebit quod mali isti amici adsint quibus ostendere possit cur eos iam in amicorum numero non sit habiturus, sed renunciaturos amicitiam [18]. quo ipso consilio totam orationem habet. atque ea quae requiruntur re vera ex librorum vestigiis indagari possunt. in illo enim *τιμήσειν* infinitivo latet 'λήσει', cum *M* litterae maioris altera pars *A* litteram exhibeat. *AI* litterae ex *οἶμαι* voce, quae antecedit, coniunctae cum *u* et priore parte *M* litterae efficiunt 'αἰτία', modo addita una lineola ex *A* littera faciamus *A*. restant haec 'οὐδὲν οἶμ'. pro quibus non dubito quin recte ponam 'οὐδεμία'. scripsit igitur Lysias *τοὺς μὲν γὰρ οὐδεμία αἰτία λήσει*. ut enim illa uno in conspectu videamus, habebant libri olim *ΟΥΑΕΜΙΑΑΙΤΙΑΛΗΣΕΙ*, quae postea depravata sunt in *ΟΥΑΕΝΟΙΜΑΙΤΙΜΗΣΕΙΝ*. fontem corruptionis statuo esse in terminatione *οὐδεμία* vocis, quae cum prima syllaba insequentis vocabuli speciem *μαι* syllabae accepit. inde et ex litteris quae antecedebant conflatum est *οἶμαι*. hoc si verum est facile ex *ΤΙΑΛΗΣΕΙ* addita *N* littera repetitus est *ΤΙΜΗΣΕΙΝ* infinitivus qui solus ad *οἶμαι* referri posse videretur. sic non magna facta mutatione lucratur sententiam aptissimam. maiore cum studio, inquit orator, loquor, quia et ei adsunt quibus me priorem laesum esse demonstrabo, et ei qui audita mea oratione nullam causam ignorabunt, si mihi et necessariis meis in posterum inimici esse videbuntur.

## III.

Post exordium negat orator se priorem calumnias in amicos iactavisse [3]: *πρῶτον μὲν οὖν, ἵνα μὴ τις ὑμῶν τάχα δὴ βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε πρόφρασιν πορίσῃται τῆς ἀμαρτίας, εἰπάτω οὖν τίς ὑμῶν ὑπ' ἐμοῦ κακῶς ἀκήκοεν ἢ πέπονθεν.* in his *βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκεν* vocabula fortasse per similem licentiam dicta sunt atque Lysias usus est cum scripsit [10, 32] *βοηθήσατε τοῖς ὄρκοις οἷς ὁμωμόκατε.* hoc enim est 'iuriurando ita subvenire ut conservetur', illud 'peccatis ita subvenire ut vituperari non queant' vel 'peccata excusare'. sed ut haec explicatio dubia sit, illud tamen scio improbabilem esse mutationem a Scheibio propositam qui scribit haec: 'τάχα δὴ βοηθῶν τούτοις (incusatis), οἷς (quibus rebus) ἐξημάρτηκε πρ. π. τ. ἀμ.' nam iusto obscurius loqueretur orator si ad aliud *τούτοις*, ad aliud *οἷς* vocabulum, quod e vestigio sequitur, referret. si quid vero mutandum est omittenda censeo *τῆς ἀμαρτίας* vocabula quippe a grammatico quodam addita ad explicanda ea quae proxime habemus *οἷς ἐξημάρτηκε.* quod si verum est haec efficitur sententia: ne quis vestrum forte succurrens excusationem quaerat eis quae peccavit.

Difficilius iudicium est de verbis quae paulo post sequuntur [3 et 4]: *τί δῆτά με κακῶς τὰ μὲν λέγειν τὰ δὲ ποιεῖν ἐπιχειρεῖτε, καὶ ταῦτα πρὸς τούτους ἡμᾶς διαβάλλειν, οὓς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διεβάλλετε; καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατεπειν.* haeremus ante omnia in *ἐνοχλεῖ* et *ἐποιήσατο.* nam quemcunque orator in mente habuit, si ita dixisset, verba eius essent et obscurissima et abruptissima, ne dicam absurda. quis enim sit ille cui *ἐνοχλεῖ* istud attribuitur ex superioribus non discimus. sed largiamur paulisper oratori istam obscuritatem intolerabilem: si quis est ad quem *ἐνοχλεῖ* illud spectet, est aut Diodorus aut ille per quem orator calumnias amicorum cognovit. Diodorus, quem ibi notari Hölsecherus [p. 71] existimavit, fuerat ille quidem unus ex oratoris amicis qui amicitiam maxime fefellit [10 et 14]: at de eo solo male diceretur quod identidem omnibus eius sociis tribuitur. nimirum illi omnes studebant amicitiae speciem servare [*δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι*], ut videmus ex his [5] *οἴανές με ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον* [ita recte Cobetus] *λάθρα μὲν ἐλοιδοροεῖτε, φανερώς δὲ φίλον ἐνομίζετε,* quibuscum compares haec [17] *ᾄμην γὰρ ἀπόθετος ὑμῖν εἶναι φίλος* et quae sequuntur. Neque magis de solo Diodoro dici possunt ea quae in verbis insequentibus *καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατεπειν* latere demonstrabimus. maxime autem de Diodoro ideo cogitandum non est quod ea quae statim sequuntur *ἃ δ' ἔλεγε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἶποιμι* ad illum nulla ratione spectare possunt. etenim calumniarum in oratorem iactarum plures participes erant, id quod ut alia praetermittamus certissime elucet ex eis quae infra de Thrasymacho Menophilo aliis audimus [14 et 15].

Fuerunt autem qui *ἐνοχλεῖ* illud ad eum referrent qui oratori amicorum maledicta narravit. inter quos Augerum esse video ex translatione Latina quam Carolus Müllerus in editione oratorum Parisiensi emendavit. Sed haec quoque opinio nihil habet quo defendatur. nam de illo per quem amicorum malam voluntatem edoctus est orator infra [9] haec testatur: *ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐμοὶ χαριζόμενος ἀπήγγειλε τοῖς ἐμοῖς ἀναγκαίοις*. quonam igitur pacto de eo antea dicere potuit *καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ*? atque ille si oratori gratum fecit non solum visus est curam de eo gerere, quod inest in *δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι* vocabulis, sed re vera curam gessit.

Itaque *ἐνοχλεῖ* et *ἐποιήσατο* vocabula (nam alterum cum altero arctissime cohaeret) cum per se obscurum et abruptum reddant sermonem neque habeant ad quos referri possint scripta ab orationis auctore ita non sunt.

Deinde offendimur eo quod post *περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι* neque genetivus est neque ἧ particula. nam in tota comprehensione verborum invenias nihil quod ad *πλείονος* comparativum explicandum audiatur. at solet apud Lysiam *περὶ πλείονος* vel *περὶ ἐλάττονος ποιήσασθαι* locutiones aut ἧ aut genetivus sequi, sicut 1, 26. 9, 16. 14, 40. 15, 8. 18, 15. 28, 11. 29, 3. 31, 7 et 18. in oratione quinta decima [11] Scheibius quidem et Cobetus retinuerunt haec *τὰς τούτων δεήσεις περὶ ἐλάττονος ποιησάμενοι τὰ δίκαια ψηφίσασθε*. sed Frohbergerus probata Mülleri et Kayseri coniectura post *περὶ ἐλάττονος* recte inseruit *τῶν νόμων*. ergo *καί* illud quod post *κήδεσθαι* est suspicionem movet. denique idem dicendum erit de *μᾶλλον* insequenti vocabulo quod et ipsum complemento suo caret.

Postquam igitur quae vocabula certissime depravata sint docui, emendata quae Lysias scripsisse videtur subiciam: *καίτοι οὕτως ἤνωχλεῖτε, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσασθε δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι ἢ ἀλλήλων μὴ κατειπεῖν*. scripsissem *ἐνοχλεῖτε*, nisi eo tempore quo orator loquitur qui antea amici fuerant iam palam inimicitias contra eum gerere dicerentur his verbis [16] *νῦν δὲ ἐπειδὴ ἐκλελοίπασιν ὑμᾶς αἱ προφάσεις, ἐλευθεριώτερόν με κακῶσαι λείπετε ἤδη οὐδέν*. extrema *τε* syllaba fortasse in libris excidit propter ultimam insequentis *ὥστε* vocabuli. *ἐποιήσατο* autem pro eo quod verum est *ἐποιήσασθε* a librario aliquo correctum est ut verba aliquem certe quamvis falsum intellectum haberent. deinde ἢ ἀλλήλων voces, si res ex litteris iudicatur, non ita multum distant a traditis *καὶ μᾶλλον* [*ΗΛΛΗΛΩΝ ΚΑΙΜΑΛΛΟΝ*], neque abhorret a veri similitudine eadem ratione atque supra dixi *M* litteram in *μᾶλλον* pro duplici *A* scriptam corruptelam effecisse. ceterum *μᾶλλον* in libros Lysiacos irrepsit etiam in orat. 14, 29. ubi et Scheibius et nuper Frohbergerus *ἀλλ' ὄν* ediderunt pro *ὄν μᾶλλον*, atque *καί* et ἧ particulae inter se commixtae videntur esse in orat. 21, 25 [libri *γενέσθαι ἢ*, Scheibius *γενέσθαι καί*] et fortasse in orat. 25, 1 [libri *κερδαίνειν ἢ*, Taylorus

Halmio probante *κερδαίνειν καί*, Kayserus utrumque interpretationem alienam esse putat]. denique pro *ἐμοῦ* dedi *μή*, quod quomodo in illam vocem abierit nescio. sed ut aliquam de ea quoque faciam coniecturam, librarii postquam quae antecesserant in *καί μάλλον* depravata erant genitivum qui ad *κατεπιτεῖν* adderetur desideraverunt ideoque pro *μή* scripserunt *μοῦ*. id postea in *ἐμοῦ* mutatum est propter ea quae paulo ante sunt *δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι*.

At has rationes quasi extrinsecus petitas minoris duco quam sententiam, cui verba qualia supra dedimus aut simillima certe conveniunt. dixerat orator falsos amicos ipsi et maledicere et iniuriam inferre conari. sequitur enunciatio a *καίτοι* particula incipiens, quae quoniam conclusioni ibi locus non est debet continere oppositionem aliquam: sequitur oppositio 'quamquam [et tamen] vos tam molestos praebebatis ut pluris duceretis curam in me conferre videri quam vosmet ipsos non criminari'. miratur igitur orator illos quamquam ipsum re vera et maledictis et iniuriis persequerentur tamen adsumpsisse amicitiae speciem. ac simul ut eos derideat indicat qua arte istam amicitiae speciem tutati sint: scilicet eo quod ipsos inter se apud oratorem criminabantur. quod factum esse infra et exemplis duobus illustrat [14 et 15] et generatim declarat [16 et 17]. mentiti enim perfidi amici erant Thrasymachum Diodoro maledixisse oratoris gratia. similiter eo praesente Autocrates affirmavit Euryptolemum Thrasymacho irasci quod male se ab hoc audire certior factus esset a Menophilo. qui rogatus postea totam rem infitatus est. orator autem ne tunc quidem amicorum perfidiam perspexit cum dicat 'χοῦν μὲν οὖν τότε με γινώσκειν ὀφειλόμενον μοι ταῦτα παθεῖν, ὅτε καὶ πρὸς ἐμὲ περὶ ὑμῶν ἀντιῶν ἐλέγετε κακῶς' et 'ἤμην γὰρ ἀπόθετος ὑμῖν εἶναι φίλος τοῦ μηδὲν ἀκούσαι κακὸν δι' αὐτὸ τοῦτο, διότι πρὸς ἐμὲ τοὺς ἄλλους ἐλέγετε κακῶς [sic rectissime Scheibius], παρακαταθήμην ἔχων ὑμῶν παρ' ἐκάστου λόγους πονηροὺς περὶ ἀλλήλων'. ceterum extremam horum verborum partem apparet optime convenire eis quae supra scribenda censeo ἢ ἀλλήλων μὴ κατεπιτεῖν. atque omnino ille de amicorum fallaciis locus [16 et 17], cuius partes nonnullas adscripsi, respondet eis verbis quae emendavisse mihi videor. si enim totam orationem accurate perlustramus verba illa *τί δῆτά με κακῶς τὰ μὲν λέγειν τὰ δὲ ποιεῖν ἐπιχειρεῖτε . . μὴ κατεπιτεῖν*, quae non multo post exordium leguntur, sentimus orationis partes vel dispositionem continere. primum enim orator exponit qua ratione ipsi male dixerint amici [5—9], quod praeparatur hisce verbis *κακῶς τὰ μὲν λέγειν*. deinde demonstrat amicos contra ipsum etiam egisse [11 *οἱ δ' ἄρα οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντιπραττον*], quae pars spectat inde a §. 10 ad §. 13 et praeparatur hisce *κακῶς . . τὰ δὲ ποιεῖν*. tertia parte illustrantur calumniae quibus apud ipsum oratorem amici inter se vexabant [14 et 15], quae in dispositione designantur his verbis *οὗς πρὸς ἡμᾶς ἀντιὸς διεβάλλετε*. quae si ponderamus paene



necessarium est quartam quoque partem quae ante epilogum complectitur §. 15 et 16 aliquo vinculo coniunctam esse cum extremis verbis dispositionis his *καίτοι οὕτως ἤνωχλεῖτε . . . κατειπεῖν*. est vinculum si orator ea dixit quae commendata a me sunt.

Quae postrema de dispositione non solum ideo disputavi ut firmamentum accederet ad meas emendationes, sed etiam ut simul perspicuum esset non omni arte hanc octavam orationem esse destitutam. restat ut nonnulla adiciam quae ad solas emendationes spectent. erat cum de *ἐνωχλεῖν* verbo dubitarem: sed iam mihi persuasi molestum recte eum adpellari qui quasi obrudat nobis amicitiam simulatam. deinde Cobetus edidit articulo inserto *περὶ πλείονος ἐποιήσατο τὸ δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι*. quod additamentum licet Rauchensteinio [ann. phil. Fleck. 91 p. 604] probatum tamen necessarium esse nego. Cobetus haud dubie opinabatur τὸ illud excidisse propter syllabam extremam eius vocabuli quod anteedit. sed vidimus *ἐποιήσατο* dictum non esse ab oratore sed *ἐποιήσασθε*. et sane Lysias infinitivo ex *περὶ πολλοῦ ποιῆσθαι* locutione suspenso praeposuit semel articulum in hisce verbis primae orationis [1] *περὶ πολλοῦ ἂν ποιησάμην, ὦ ἄνδρες, τὸ τοιοῦτος ὑμᾶς ἐμοὶ δικαστὰς περὶ τούτου τοῦ πράγματος γενέσθαι*, at ideo non debet semper praeposuisse articulum: immo exemplum apud eum est in quo ne possit quidem praeponi articulus, in his verbis [31, 18] *τούτους ἀφηρεῖτο τὰ ὑπάρχοντα, περὶ πλείονος ποιούμενος αὐτὸς μικρὰ κερδαίνειν ἢ ἐκείνους μηδὲν ἀδικεῖν*. quae verba eo libentiore animo adposui quia etiam in reliquis plane eadem ratione conformata sunt atque illa quae Lysiam in oratione octava scripsisse conieci *περὶ πλείονος ἐποιήσασθε δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι ἢ ἀλλήλων μὴ κατειπεῖν*.

### III.

In eis quae sequuntur [4] etsi homines docti iam varias tentaverunt emendationes sunt tamen vel nunc haud exiguae difficultates. liber Palatinus haec habet: *ἃ δ' ἔλεγε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἶποιμι· καὶ γὰρ ἀκούων ἠχθόμεν, οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, οὐ εἰλέγετε καὶ ἐμοῦ ταῦτα, δόξαίμι· καὶ γὰρ ἂν ἀπολόιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν ταῦτα λέγοιμι περὶ ἐμαντοῦ· ἃ δὲ ὑβρίζειν οἰόμενοι ἐμὲ καταγελάστους ὑμᾶς αὐτοὺς ἐποιεῖτε, ταῦτα λέξω*. in his pro eo quod in libro manu scripto est *ἔλεγε* oratori *ἔλέγετε* altera pluralivi numeri persona restituenda est. quod quamquam recte fieri eisdem de causis intellegitur quibus ducti supra *ἤνωχλεῖτε* et *ἐποιήσασθε* scripsimus, tamen stabilitur nova quoque causa. certissimum est enim ex natura *μὲν* et *δέ* particularum primam et extremam sententiam eorum quae supra posui inter se respondere, dico *ἃ δ' ἔλέγετε . . . πάντα μὲν οὐκ ἂν εἶποιμι* et *ἃ δὲ ὑβρίζειν οἰόμενοι . . . ἐποιεῖτε, ταῦτα λέξω*. atqui in posteriore sententia, qua se partem tantummodo quandam calumniarum commemoraturum esse orator affirmat, adversarios suos appellat: nonne igitur etiam

in priore, qua omnes calumnias se enumeratum negat, appellabit eosdem? itaque de illa quidem emendatione vix dubites. in proximis autem orator id agit ut demonstretur cur omnes amicorum fallacias enumerare non placeat. veretur enim ne si illud faciat perfidos istos amicos culpa liberet, quoniam indignatione sua eo usque abripi facile possit ut illos eisdem criminationibus persequatur quibus ipse ab eis petitus sit. itaque conditionalis enunciatio in his *καὶ γὰρ ἂν ἀπολύοιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν ταῦτα λέγοιμι περὶ ἐμαντοῦ* vitio laborat. nam si quae de se ipso orator dicit alios culpa liberare non potest. restituenda igitur existimo haecce *εἰ περὶ ὑμῶν ταῦτα λέγοιμι ἄπερ ὑμεῖς περὶ ἐμαντοῦ*. similiter *ἄπερ* post *ταῦτά* positum videmus infra [9] *εἰ ταῦτα ποιήσαιμι αὐτὸν ἄπερ ἐκεῖνος ὑμᾶς* et ibidem *οἷσπερ* post *ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς* in his *οὐ γὰρ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐκεῖνος ἡμῖν ἀπήγγελλεν, ἐφ' οἷσπερ ὑμεῖς ἐλέγετε πρὸς ἐκεῖνον*. cf. orat. 1, 1 *εἰ τὴν αὐτὴν γνώμην περὶ τῶν ἄλλων ἔχετε, ἦνπερ περὶ ὑμῶν αὐτῶν*, et orat. 2, 13 *τὴν αὐτὴν εἶχον γνώμην ἦνπερ πρότερον*. librariorum autem error ortus videtur esse ex repetita saepius *περ* syllaba in *περὶ* et *ἄπερ*. ceterum *ταῦτά* pro *ταῦτα* et reperitur in quibusdam libris deterioribus et receptum est ab editoribus omnibus, qui tamen reliqua non emendaverunt.

Postquam sic de sententia provisum est, ea quae antecedunt facilius diiudicari poterunt. in his *δόξαίμι* vocabulum librariorum errori imputandum est. quod ut corrigeret Cobetus probante Rauchensteinio [in *annal. phil.* 96 p. 604] edidit haec *οὐδ' αὖ ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα, διέξιμι*. quorum sententia sana fortasse est nisi quod *αὖ* illud non sine offensione in locum *ἂν* particulae successit. nam ea voce cum valeat 'contra' vel 'vicissim' duae sententiae quae coniungi debent disiunguntur aut adeo inter se opponuntur. manifestum est enim illa verba *καὶ γὰρ ἀκούων ἡχθόμην* per se inania esse neque intellegi posse cur ea ab oratore post haec *πάντα μὲν οὐκ ἂν εἶποιμι* dicantur, nisi quasi continentur insequentibus: nam indignatione sua [*ἡχθόμην*] orator significat se si omnes calumnias relaturus sit criminationibus abstinere non posse. quare Cobeti coniectura probabilis non est.

Ante illum Scheibius coniunctis Emperii et Marklandi coniecturis edidit *οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν ὅ τι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ, ταῦτά λέξιμι*. in quibus *ὅ τι* in singulari numero positum neque per se veri simile est neque *ὅτι* coniunctionem debebat loco expellere. nam recte se habent verba *ὑμῖν ἐπικαλῶν ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ* 'vos criminans quod dicebatis contra me', neque accusativus ab *ἐλέγετε* suspensus desideratur, quoniam quid ibi ex superioribus audiendum sit aequae facile intellegitur atque in verbis quae supra iam commemoravi [9] hisce . . . *ἐφ' οἷσπερ ὑμεῖς ἐλέγετε πρὸς ἐκεῖνον* et ibidem in his *ὑμεῖς δὲ βλάπτειν ἐμὲ βουλόμενοι ἐλέγετε πρὸς ἐκεῖνον*. deinde quod Scheibius *ταῦτά* scripsit speciosum illud quidem est, sed tamen improbabile. voluit ille hanc

sententiam restituere: dum vobis exprobro quod in me illa dicebatis, nolo idem committere in vos eadem maledicta coniciens. at ex his intellegi nequit cur orator nolit omnia adversariorum dicta referre. aliud est enim calumnias aliorum explicare, aliud ipsum in alios calumnias facere, ac licet quis partem tantum ex illis proferat potest tamen ipse permulta crimina in adversarios fingere. ergo fortasse ea scripsit Lysias quae solo *δόξαιμι* in *λέξαιμι* mutato iam apud Turicenses editores sunt *οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅτι ἐλέγετε ταῦτα, λέξαιμι*. et acquiescerem in his neque quidquam adicerem nisi primum idem verbum ter deinceps repetitum [*ἐλέγετε, λέξαιμι, λέγοιμι*] displiceret admodum. porro in Lysiae omnibus orationibus *λέγειν* verbi praesens vel imperfectum vel futurum eorumque modos varios repperi paene trecentiens, ne semel quidem *ἔλεξα* aoristum. contra aoristi qui est *εἶπεν* exempla apud eum sunt fere centum quinquaginta. itaque *ἔλεξα* aoristum vix possumus credere eum non evitavisse. quod si recte disputavi pro *δόξαιμι* propono scribendum *λήξαιμι* et simul, ne sententiae claudicent, paulo post pro *γὰρ ἂν* vocibus *τάχ' ἂν*, quae fortasse in *γὰρ ἂν* a librariis detorta sunt propterea quod enunciatum quod antecedit ab eisdem particulis incipit. itaque emendata Lysiae verba haec sunt *Ἄ δ' ἐλέγετε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἶποιμι καὶ γὰρ ἀκούων ἠχθόμεν, οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅτι ἐλέγετε καὶ ἐμοῦ ταῦτα, λήξαιμι καὶ τάχ' ἂν ἀπολύοιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἰ περὶ ὑμῶν ταῦτὰ λέγοιμι, ἅπερ ὑμεῖς περὶ ἐμαντοῦ ἃ δὲ ὑβρίζειν . . ταῦτα λέξω*. quae hunc in modum explico: omnia maledicta vestra dicere nolim: nam graviter commovebar iam cum ea audirem neque si enumerare omnia velim criminationum in vos finem facere possim: et facile acciderit ut culpa vos liberem si de vobis eadem dicere velim quae vos de me. quibus vero ridiculos vos ipsos fecistis ea dicam.

## V.

Dicebant enim oratorem cum ipsis invitis consuetudinem habere neque tamen ei amicitiam renunciaverunt. ille autem nihil reperire potuit cur suam amicitiam istis ingratam esse crederet. *Πόθεν ἂν οὖν*, inquit [7 extr.], *εἰκότως ὑπόπιπτον ἄχθεσθαι μοι συνόνας*; sequuntur verba quae et emendatione et interpretatione egent *καὶ ταῦτα δ' ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἔλεγεν, οὐκ ᾔεσθε ἀπαγγέλλειν ἡμῖν, κἀνιαῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι, εἰ περιήλθετε πάντες ὑμῶν αὐτῶν κατηγοροῦντες ὅτι πονηροῖς ἐκόντες ὀμιλεῖτε*. quorum etsi prior pars editores male cruciavit, tamen id unum certissimum est pro eo quod est in libris *ἔλεγεν* dixisse oratorem *ἐλέγετε* aequae ac supra demonstratum est [4]. atque est id iam in editione Cobeti. sed quae ille Sauppium suspitionem ex parte amplexus praeterea scripsit . . *δ' ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἐλέγετε οὐκ ᾔεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν* eorum sanam sententiam in cassum quaesivi. quorsum enim illud *πρὸς τοὺς τελευταίους*? nun adversarii cum apud primos oratorem calumniarentur putabant eos

omnia evulgaturos esse? deinde quae sequuntur *κάνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι* non possunt coniungi cum *οὐκ ᾔεσθε* vocabulis: debebat enim scribi *οὐδ' ἐνταῦθα*. quo autem illa ut aliqua ex parte tolerabilis existat sententia praeterea spectent ex eis quae apud Cobetum sunt non video. relinquatur igitur ut illa *κάνταῦθα . . . εἶναι* coniungantur cum *ὑπόπιενον* verbo. nam interrogationis signum quod est pone *συνόντας* esse demum debet post *ὀμιλεῖτε*. quae distinctionis mutatio fieri nequit nisi simul reliqua quae interiecta sunt ad eandem rationem rediguntur, fere ita ut non magnis factis mutationibus oratio hunc in modum procedat: *πόθεν ἂν οὖν ὑπόπιενον α. μ. συνόντας, καὶ ταῦτα διότι πρὸς τοὺτους τελευταίους ἐλέγετε οὓς οὔεσθε ἀπαγγέλλειν ἡμῖν, κάνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι . . . ὀμιλεῖτε*; unde igitur, inquit, suspicari poteram vos consuetudinem meam gravate ferre idque scilicet quia ei quos putatis vestros sermones nobis renunciavisse postremi erant quibuscum loquebamini, et in eo praeclaram sapientiam inesse si huc et illuc omnes ambularetis vos ipsos incusantes quod vestra sponte consuetudine improborum uteremini? quae inter se conexa sunt aptissime. orator enim de calumniis amicorum falsorum eo minus potuit cognoscere quo cautius isti eis solis rem aperiebant quos silentium acturos esse sperarent. tandem inter eos qui postremi arcanorum participes facti sunt extitit unus qui rem patefaceret [8 et 9]. interim vero isti amici praesente etiam oratore inter se familiaritatem cum viris improbis sua voluntate habitam exprobraverunt: in quo erat positum illud *σόφισμα καλόν*, quod quid sibi vellet innocens orator non perspexit. neque enim quidquam acciderat cur suam ipsius consuetudinem amicis iniucundam esse seque ipsum intellegi putaret si de consuetudine cum improbis habita amici verba facerent.

Sed quamquam de veritate universae sententiae dubitari vix posse existimo tamen opus est de Graecis verbis sigillatim nonnulla vel interpretationis vel confirmationis causa adicere. *καὶ ταῦτα* 'idque' raro quidem apud Lysiam invenitur, at invenitur tamen et in hac ipsa oratione si hoc exemplum adnumeratur quater [3. 6. 8. 14.], praeterea bis [14, 30 et 11, 9. cf. Frohberger. orat. select. vol. II. p. 148]. *διότι*, quod dedi pro *δ' ὅτι*, male mutatum erat a librariis qui non intellegerent totam hanc verborum comprehensionem illusionem, quam Quintilianus dicit, sive ironiam continere: id quod certissimum est ex illo quod postea dicitur *σόφισμα καλόν*, ubi improbum commentum designatur. sic hic quoque orator contraria dicit eis quae intellegit: 'scilicet propterea quod quam diutissime me rem celabalis ego poteram suspicari cur meam consuetudinem aegre ferretis!' deinde ex coniectura Dobreei, qui tamen reliqua nondum ad liquidum perduxit, *τούτους* in locum *τούς* articuli substitui. quae mutatio utique necessaria est si volumus *τελευταίους* insequens vocabulum retinere. quod non fecissem si aliam vocem non prorsus alienam a traditis litteris et sententiae convenientem excogitare potuissem.

nunc *τελευταίους* adtributionis instar ad *τούτους* additum est, cuius generis duo exempla apud Lysiam sunt. Vide 19,6 *ὡς γὰρ ἐπὶ πολὺ οἱ τελευταῖοι κρινόμενοι σώζονται*, et 31,31 *οὐδὲ τελευταῖος ἐπὶ τοὺς κινδύνους ἦλθε*. porro *οἴεσθε* et *ᾤεσθε*, quod in libris est, vix differunt. praesens autem tempus requiritur quoniam oratoris adversarii eo tempore quo oratio habita est haud dubie nonnullos ut calumniarum delatores in suspicionem vocabant, quorum in numero is erat cuius nomen orator se prodere nolle paulo post asseverat cum dicit *περὶ μὲν οὖν τοῦ λέγοντος οὐδὲν ἂν περαίνετε πυνθανόμενοι*. deinde *ἀπαγγέλλειν*, quod est in libro Palatino et aliis nonnullis, non mutavi in aoristum quia ille infinitivus etiam post praesens tempus imperfecti notione indui potest [cf. Krügeri gramm. 53, 2, 9]. similiter infra participium habemus [12] *ἀρά γε ταῦτα ξυμβαίνει τοῖς ἀπαγγελλομένοις*; vulgata autem lectio *οὗς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν*, quam videmus etiam in Scheibii editione, nisi antea verba plane immutantur defendi nequit. nam adversarii anxie cavebant ne quid odoraretur orator, neque ullo umquam tempore cum eiusmodi hominibus quos omnia illi delaturos putarent calumnias communicaverunt: si minus, operam non dedissent ut proditorem cognoscerent. denique *κάντιαῦθα* et *εἰ* inter se ita respondent ut *κάντιαῦθα* et *ἵνα* 'ubi' in orat. 3, 14 *κάντιαῦθα μὲν, ἵνα φησὶ Σίμων τὴν μάχην γενέσθαι, . . οὐδεὶς . . καιάγῃ τὴν κεφαλὴν*.

## VI.

Ut quasi a longiore cursu respirem volo nunc minutam rem sed tamen dignam consideratione breviter perstringere. orator enim ubi ei per quem de amicorum perfidia certior factus erat fidem habendam esse affirmat [9], si editionum praeter Cobetianam sequimur distinctionem, dicit haec *καὶ ταῦτα εἰ μὲν ἠπίστον, ἐξελέγχειν ἂν ἐξήτουν· νῦν δέ· ξυμβαίνει γὰρ καὶ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ, καὶ ἐμοὶ σημεῖα ταῦτα μὲν ἐκείνων ἐστίν, ἐκεῖνα δὲ τούτων ἱκανά*. ex qua distinctione apparet editores ad *νῦν δέ* vocabula explicanda nonnulla ex superioribus repetere voluisse, et Le Beau [Lys. Epit. p. 76] confudit, ut alia praetermittam, id exemplum et haec orationis duodecimae *οἷδ' ὅτι οὐ δεῖ μάρτυρας παρασχέσθαι· ὅμως δέ· [61] et ἀπολέσαι παρεσκευάζοντο τὴν πόλιν, εἰ μὴ δὲ ἄνδρας ἀγαθούς [60]*. at in posteriore exemplo omissum est verbum ex trita sermonis consuetudine [cf. Frohb. I. p. 214], neque difficile est in priore ex *παρασχέσθαι* verbo quod proxime antecedit simul audire *παρασχίσσεται*. minus facile ad *νῦν δέ* ex remotioribus *εἰ μὲν ἠπίστον* vocabulis mente addi potest *οὐκ ἀπιστῶ*. quare nulla facta distinctione *νῦν δέ* voces potius cum insequentibus coniungendae sunt, quod si fit, causalis enunciatio *ξυμβαίνει γὰρ . .* ex loquendi genere apud Thucydidem frequentato eis verbis quorum causa affertur tanquam interclusio praeposita est [cf. Krüger. gramm. 69, 14, 3]. sententia enim haec est: nunc vero cum ea quae mihi narrata sunt concinant cum rebus olim gestis illa his et hae illis satis mihi comprobantur.

Res illas olim gestas orator statim incipit narrare [10]. quidam enim Polycles cum duodecim minas persolvere non potuisset oppigneraverat oratori equum morbidum. is morbo cognito equum ad Polyclem remittere voluerat, sed Diodori perfidi amici hortatu retinuerat: equo autem mortuo cum Polycles pecuniam reddere noluisset, causa ad arbitros relata erat. atque orator ab amicis ea in re se adiutum iri frustra speravit. nihil eo secius et imprudentiam suam et malam amicorum voluntatem non ante perspexit quam ab eo cuius nomen reticet edoctus est. quae res etsi satis dilucidae sunt, librorum tamen verba, quibus eae tractantur, maximam partem pessima vitia contraxerunt. *πρῶτον μὲν*, inquit orator, si codices sequimur, *ἅπαντα δὲ ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου προσῆγε μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον ἀνάγειν με βουλόμενον Διόδωρος οὐτοσί* [Cobetus ita pro οὐτος] *ἀποτρέπειν ἐπειράτο*. in quibus quod ex *προσῆγε μαχόμενον* vocabulis Dobreeus effecit *πρὸς Ἡγέμαχον* ingeniose id quidem excogitatum est, sed verum esse non puto. nam primum de oppignerando equo orator cum Polycle agebat, non cum Hegemacho aliquo, neque de eo quidquam dicit infra ubi multa amicorum sive mavis adversariorum nomina commemorantur veluti Diodori Clitodici Autocratis Euryptolemi Menophili Thrasymachi. deinde *προσῆγε* verbum nolim amittere cum ei oppositum esse videatur quod paulo post sequitur *ἀνάγειν*. sed quia *πράξαντά με* vocabula ex *προσῆγε* pendere non possunt, Scheibius [ed. II. p. XXI.] existimavit 'et nomen eius de quo infra loquitur orator et verbum e quo accusativus *πράξαντά με* pendebat excidisse'. at neque novi quale illud quod excidisse dicitur verbum esse poterit, neque si verbum in libris omissum male esset, antea in principio enunciationis orator dicere debebat *πρῶτον μὲν*, sed aliqua coniunctione addita *πρῶτον μὲν γάρ* vel *καὶ πρῶτον μὲν* vel *καὶ τὸ μὲν πρῶτον* vel similia quae cuique loco conveniunt. sic habet Lysias in orat. 1,9 *πρῶτον μὲν οὖν . . . οἰκίδιον ἐστὶ μοι διπλοῦν*. 1,12 *ἢ δὲ τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἤθελεν*. 13,27 *πρῶτον μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι ἦσαν*. 29,6 *καὶ τὸ μὲν πρῶτον οὗτος . . . μὲν μὲν εἶρη τῇ πόλει*. cf. 7, 15. 23, 4. 9, 3 et 7. 1, 19. 1, 40. 8, 8. 2, 7 et 8. 23, 5. 12, 92 et 95. 32, 12. 13, 97. contra solis *πρῶτον μὲν* vocabulis sine alia coniunctione, sicut rei naturae consentaneum est, non utitur Lysias si novum verbum sequitur, sed fere in partitionibus quae uni eidemque verbo subiectae sunt. cf. 26,23 *τρία ἔξω εἶπεν τηλικαῦτα τὸ μέγεθος ὥστ' ἄξιον εἶναι ἕκαστον ἔργον θανάτου πρῶτον μὲν ὅτι τὴν ἐν Βοιωτοῖς πολιτείαν χρήματα λαβὼν μετέστησε . . . , ἔπειτα ὅτι τὰς ναῦς προῦδωκε . . . , ἔπειτα ὅτι παρὰ τῶν αἰχμαλώτων . . . τριάκοντα μνᾶς ἐσκόφραντησεν*. 1,20 *κατηγορεῖ πρῶτον μὲν ὡς μετὰ τὴν ἐκφορὰν αὐτῇ προσίοι, ἔπειτα ὡς αὐτῇ τελενωσα εἰσαγγείλει*. cf. 13, 30. 17, 8. similiter in octava oratione non credo excidisse verbum quod quale fuerit cogitari vix potest, verum *πρῶτον μὲν* vocabula cum verbo quod antecedit consocianda sunt. ex quo sequitur ut fere ita scribatur . . . *καὶ ἐμοὶ σημεῖα ταῦτα μὲν*

ἐκείνων ἐσίν, ἐκεῖνα δὲ τούτων ἰκανά· πρῶτον μὲν ἅπαντα τὰ δι' ὑμῶν πραχθέντα μοι περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου. spectant ἅπαντα τὰ πραχθέντα per appositionem ad ἐκεῖνα, qua voce res olim gestae generatim designantur. alterum autem orationis membrum quod πρῶτον μὲν vocabulis respondeat non eadem ratione atque in exemplis quae supra attuli ab ἔπειτα coniunctione incipit. orator enim cum de primo temporis pristini facinore multa verba fecisset instituti sermonis oblitus est: nam narratio hunc in modum procedit [14]: γινώσκω δὲ νῦν ἤδη πάλαι ζητούντας πρόφασιν, ἥνικα Θρασύμαχον ὑμᾶς ἐφάσκετε κακῶς λέγειν δι' ἐμέ.

Maiore autem pone ἵππου facta distinctione ita censeo locutum esse oratorem: προσῆγε Θρασύμαχος κάμνοντα τὸν ἵππον. ἀνάγειν με βουλόμενον Διοδώρος οὔτος ἀποτρέπειν ἐπειράτο. et eo quidem offendetur nemo quod post προσῆγε non est γάρ particula. nam ea in explicationibus omittitur ex loquendi genere grammaticis notissimo [veluti Krügero 59, 1, 5]. insequens autem enunciatio coniunctione caret propter oppositum προσῆγε, nisi forte scriptum erat ἀνάγειν δ' ἐμέ. scripsi praeterea pro μαχόμενον librariorum commento Θρασύμαχος. nam audendum est aliquid quoniam mire depravatam habemus vocabulum. aberraverant oculi librarii alicuius ad illud quod paulo post insequitur βουλόμενον. sic factum est . . μαχόμενον ex . . μαχος litteris. Θρασν . . prior pars nominis proprii quomodo evanuerit ignoro: sed videtur olim exitisse. Thrasymachus enim quamquam ex verbis quae infra [14—16] sequuntur servaveritne amicitiam constitui non satis potest, fuit certe amicus oratoris maxime familiaris. huius igitur opera postulavit orator a Polycle pignus pro duodecim minis, et adduxit is ab illo equum quem aegrotare sero animadverterunt. atque Thrasymachus, quod pignorationi equi interfuerat malumque Diodori consilium noverat, postea et ipse male audiebat ab improbis amicis qui eum oratoris gratia ipsis maledicere affirmabant [14 et 15]. quod cur fecerint non satis intellegitur, nisi antea Thrasymachi mentio facta erat in eis verbis in quibus nomen illud ex librorum vestigiis restituendum esse iudico.

Diodorus igitur alique ex oratoris amicis hunc iure reposcere a Polycle pecuniam subito negarunt quamquam eum antea in oppignerando equo adiuverant [10 ἅπαντα τὰ δι' ὑμῶν πραχθέντα περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου]. atque orator postquam illa exposuit, si codicibus fidem habemus, haec addit καίτοιγε ἐφ' ὧν γε αὐτῶν κατηγοροῦν· εἰ γὰρ ἂν μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ πον καλῶς συνέπραττον. quorum ab initio vix est mutatio quod Dobreus pro ἐφ' ὧν γε scripsit σφῶν γε, atque hoc merito probaverunt et Turicenses et Scheibius et Cobetus. reliqua sanari aliquatenus fortasse possunt, quia manifestum est quae voluerit orator dicere. amici enim si eadem in re in qua gerenda illum primo adiuverant postea eum dicebant contra ius agere ipsi quoque iniusti aliquid fecerant, seque ipsos quamvis inviti simul incusabant

si oratorem incusabant. cui sententiae satisfacimus si pro  $\alpha$  pronomine  $\tau\acute{\alpha}$  articulum et pro  $\mu\eta\delta\acute{\epsilon}\nu$   $\eta\acute{\nu}$  scribimus  $\mu\eta\delta'$   $\eta\acute{\nu}$ : *εἰ γὰρ τὰ μετὰ τούτων ἀδικουμένω μοι μῆδ' ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ πον καλῶς συνέπρατιον.* 'et tamen se ipsos incusabant: nam si res his praesentibus et adiutoribus constitutas [ $\tau\acute{\alpha}$  μετὰ τούτων] mihi qui iniuriam patiebar ne licebat quidem dicere, profecto, opinor, praeclare mihi opitulabantur'. nimirum non debuerant adiuvare oratorem si dicere contra eum postea in animum inducebant. ceterum *καλῶς συνέπρατιον* idem valet atque *κακῶς συνέπρατιον* per similem dissimulationem atque supra [8] in *σόφισμα καλόν* vocabulis animadvertimus. quae dissimulatio  $\eta\acute{\nu}$  πον particulis optime convenit, ut apud Demosthenem [65, 18] *εἴ γε εἰς τὴν ὁδὸν δακνήσω τὸ ὕδωρ ἐξάγειν, ἢ πον σφόδρα θαρσύνω εἰς τὸ τοῦ πλησίον χωρίον ἀφείην ἄν* [cf. Frohb. ad Lys. 12, 35].

Quae in codicibus sequuntur interpretanda, non emendanda sunt: *καὶ ἐγὼ μὲν ὄμην φιλοσοφοῦντας αὐτοὺς περὶ τοῦ πράγματος ἀντιλέγειν τὸν ἐναντίον λόγον· οἱ δ' ἄρα οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντέπρατιον, καὶ διὰ τοῦτο ἀντέπρατιον, ἵνα τὸν ἐμὸν λόγον εἰδείη Πολυκλῆς· ἐδηλώθη γὰρ ταῦτα.* Scheibio enim *ἀνυλέγειν* infinitivus tam intolerabilis visus est ut non dubitaret pro eo edere *ἀνυλέξειν*. immerito. obloquebantur enim amici mortuo equo. orator autem nondum perspexerat eos mala id facere voluntate, sed opinabatur quasi philosophantes de causa proposita in universum quaerere quae pro ipso quae contra ipsum dici possent. postea demum fraude cognita [*ἐδηλώθη γὰρ ταῦτα*] sensit eos non mera verba fecisse sed contra ipsum egisse. audire enim vulerant quae esset dicturus si res ad arbitros relata esset [12], atque ea quae audiverant interim Polycli narraverant, quem patet narratis bene potuisse uti. ex quibus apparet Emperium quamvis felicem plerumque coniectorem non recte coniecisse *ἀντέλεγον* pro altero *ἀντέπρατιον*. nam amici contra oratorem agebant si contra eum dicebant eo quo declaravi consilio.

Demonstravit igitur orator cum rebus gestis amicorum consentire ea quae sibi delata essent ab aliquo cuius nomen eloqui noluit. huius autem fidem isti amici ita infringere studuisse videntur ut contenderent eum ex delatione aliquid lucri exspectavisse ideoque ipsos falso criminatum esse. nam orator cum indignatione haec interrogat *ἔπειτα* [ita Scheibius pro *ἐπεὶ*] *κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως, ὥστε σπουδάσαι πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἀναγκαίους πλάσασθαι ταῦτα;* quae apta non sunt nisi immutato verborum ordine scribitur *ὑμᾶς πρὸς ἐμέ* pro eis quae codices habent *ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς*. etenim ignotus ille delator apud necessarios oratoris [9] amicos istos ut malevolos criminatus erat, non oratorem.

καὶ ἐγὼ μὲν ὄμην φιλοσοφοῦντας αὐτοὺς περὶ τοῦ πράγματος ἀντιλέγειν τὸν ἐναντίον λόγον· οἱ δ' ἄρα οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντέπρατιον, καὶ διὰ τοῦτο ἀντέπρατιον, ἵνα τὸν ἐμὸν λόγον εἰδείη Πολυκλῆς· ἐδηλώθη γὰρ ταῦτα.



## VII.

Quae post haec in octava oratione sunt magnis difficultatibus videntur vacare, nisi quod *πρῶτον μὲν* vocabula suspecta sunt in epilogi extrema parte [20] *κερδανῶ δὲ τοσοῦτον, ὅτι πρῶτον μὲν ὑμῶν ἀπαλλαγείς ἐλάχιστα κακῶς ὑφ' ὑμῶν πείσομαι.* primum enim *μὲν* quia non habet quod respondeat puto tribuendum esse scribae alicui, qui in errorem inductus est propter *πρῶτον μὲν* voces alibi sexcentiens inter se coniunctas. deinde ne *πρῶτον* quidem satis aptum videtur. orator enim in epilogo amicos ita cavillatur ut eorum quasi alteram naturam positam esse dicat in calumnia. si ego, inquit, ex vestra societate decessero, alium ex vobis calumniis persequemini et inimicum vobis reddetis, tum rursus alium et alium: qui postremus est is ipse se maledictis conficiet. quale igitur lucrum habet orator si illorum se societate liberat, nisi id ut primus sit qui consuetudinem amicorum tam criminorum effugiat eaque de causa minime inter omnes calumniis vexetur? scribendum est igitur *πρῶτος* pro eo quod in libris est *πρῶτον*. atque id suspicatus videtur esse interpret Latinus in editione Parisiensi, qui haec habet 'illud interea mihi lucro apponam, quod primus a vobis seiunctus minimum mali a vobis feram'.

Hactenus eiusmodi tentavi emendationes quae non stabilirentur nisi sententiae oratoris quam potuit fieri accuratissime perpensis. addo quaestiunculam in qua non tam de sententia quam de sono vocabulorum agatur. habent enim codices [19] *εὐνοὺς ὄντες*, quae post Reiskium omnes editores mutaverunt in *εὐνοὶ ὄντες*. solus Scheibius scripsit *εὐνοοῦντες* auctore Benselero [de hiatu p. 183], quem dicit [in praef. p. LXXX.] propter hiatum evitatum orationem Lysiae esse negavisse. sed hiatum cuiusvis generis deprehendi in huius orationis editione Scheibiana paene quinquagens. perscrutatus sum aequam partem et primae et duodecimae orationis invenique exempla hiatus centum fere et viginti. ergo ut rarior in illa hiatus sit, at tamen evitavisse existimandus non est qui, si codicem Palatinum a Scheibio expressum [cf. lect. Lys. p. 4] sequimur, dixerit 1 δὲ ὦν, 5 δὲ ὑβρίζειν, 6 δὲ αἰσχρόν, οὐδὲ ἀπειπεῖν, 9 ταῦτα, εἰ, 11 γε αὐτῶν, καὶ ἐγώ, 12 τοῦτο ἀντίπρατον, 14 καὶ ἐγώ, 15 τοῦτο Ἀντοκράτης, δὲ εἶναι, οὔτε ἀκοῦσαι, πώποτε ἔφρασκεν, οὔτε ἀπαγγεῖλαι, 16 δὲ ἐπειδή, 17 ταῦτα οὐκ. quae exempla omnia scio ita comparata esse ut elisione aut crasi quam dicunt facile possint tolli, quod maximam partem factum est apud Cobetum. is tamen in reliquis Lysiae orationibus suo quidem arbitrato eadem elisionis et crasis ratione usus est [v. praef. p. V. et VI.]. sed etsi negleguntur illa exempla, sunt etiam multa e quibus hiatus aut vix aut omnino non queat tam facile removeri: 8 ἐλέγετε οὐς, οἴεσθε ἀπαγγέλλειν, 9 καὶ ἐμοί, 11 ἄρα οὐκ, 15 καὶ οὐ, 16 λείπετε ἤδη, 19 βέλτιστα ἐρεῖτε, καθ' ἓνα ἕκαστον, et 1 [οὐδεμία αἰτία, λήσει εἰ, utrumque ex mea coniectura], 3 εἰπάτω οὐν, 4 καίτοι οὕτως [ἠνωχλεῖτε ὥστε,

κήδεσθαι ἢ ἀλλήλων]; ὅτι ἐλέγετε, 5 ἐμαντοῦ ἄ, οἰόμενοι ἐμέ, 8 εἶναι εἰ, 9 ποιήσαιμι αὐτόν, 10 οὐτοσὶ ἀποτρέπειν, Πολυκλέα, ἀλλά, 15 Θρασυμάχῳ ἔλεγεν, 16 ἤδη οὐδέν, 17 τι ἔπαθον, 19 μαρτυρεῖτε. ἀλλά, ἐμοῦ; ἀλλά, πείσεσθε ἐπειδὴ, ὁ εἷς. dedita autem opera oratorem hiatum evitavisse eo minus credo, quia in exemplis non nullis vocabulorum ordine paululum mutato facere illud potuisset, veluti si scripsisset [10] ἀντιλέξειν Πολυκλέα περὶ τῶν δώδεκα μνῶν, ἀλλ' ἀποδώσειν et [19] τοιοῦτον πείσεσθε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, ἐπειδὴ . . . et [8] οὗς ἡμῖν ἀπαγγέλλειν οἴεσθε, κἀντιᾶθα. non est igitur cur εἶνοι ὄντες, a quibus vocabulis initium huius disputationis sumpsimus, propter hiatum aequae tolerabilem atque in καίτοι οὕτως [4] vel εἰπάτω οὖν [3] vocabulis displicuisse oratori censeamus, nedum propter eam causam quam Benselerus invenisse sibi visus est hanc orationem a Lysia abiudicemus. quamquam Cobetus Attici sermonis acerrimus sectator iustum fortasse modum excessit cum εἰνοῦντες Atticum esse negat [Scheib. praef. p. XXII.]. praebent enim omnes libri hanc formam in orat. 13, 13, similiter κακονοῦντες in orat. 29, 10. magis sane adamavit Lysias εἶνους et κακόνους adiectiva cum εἶναι verbo coniuncta. legimus ipsa εἶνοι ὄντες vocabula in orat. 13, 1. 18, 8. 20, 1 et 17. κακόνου ὄντες 18, 8. εἶνοι ἦσαν 20, 8 et 9. κακόνου ἦσαν 12, 49. εἶνους ὦν vel εἶναι vel alias formas sine hiatu habemus 12, 49. 59. 65. 93. 13, 10. 93. 14, 10. 16, 3. 18, 6. 11. 26. 20, 2. 27. 31, 18. κακονούσιατον ὄντα 12, 59. κακονούσιατος ἦν 7, 28. κακόνον εἶναι 25, 7. itaque cum in oratione octava codicum corrupta vocabula εἶνους ὄντες emendanda sint, non puto eligendam esse rarissimam formam εἰνοῦντες, sed εἶνοι ὄντες vocabula apud Lysiam consociari solita.

## VIII.

Adiciam coniecturas non nullas quibus depravatis aliarum Lysiae orationum verbis succurri posse credam, ita tamen ut rationes meas aut non reddam aut quam paucissimis significem: nam longiorem esse me vetat huius scriptionis occasio.

In orat. 7, 26 καίτοι οὐ δήπου τὰς μὲν μικρὰς ζημίας οὕτω περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι, τοὺς δὲ περὶ τοῦ σώματος κινδύνους οὕτω περὶ οὐδενὸς ἡγοῦμαι· καὶ τὰς μὲν πολλὰς ἐλαίας, εἰς ἃς ἔξῃν μᾶλλον ἐξαμαρτάνειν, οὕτω θεραπεύων φαίνομαι, τὴν δὲ μορίαν, ἣν οὐχ οἶόν τ' ἦν λαθεῖν ἐξορῶντα, ὡς ἀφανίζων νυνὶ κρίνομαι Lysiam scripsisse censeo . . . οὐχ οἶός τ' ἦν λαθεῖν ἐξορῶντα, οὕτως ἀφανίζω ὡς νυνὶ κρίνομαι.

4, 13 οὐ γὰρ ἀργύριον λαβεῖν προθυμοῦνται, ἀλλ' ἐκ τῆς πατρίδος ἐμβαλεῖν αὐτόν ποιοῦνται. pro αὐτόν ποιοῦνται vocabulis permulta excogitata sunt: sed quidquid eligimus sive σπουδὴν ποιοῦνται sive πειρῶνται sive περὶ πλείστου ποιοῦνται sive προαιροῦνται vel ἀντιποιοῦνται sive ἔργον ποιοῦνται, languet oratio propter illud quod antecedit προθυμοῦνται, quod similem illis habet sententiam. Videtur olim scriptum fuisse οὐ

γὰρ ἀργύριον λαβεῖν, ἀλλ' ἐκ τῆς παιρῖδος ἐκβαλεῖν ἐμὲ αὐτὸν προθυμοῦνται. cf. 1, 4  
 παῖδας τοὺς ἐμοὺς ἤσχυνε καὶ ἐμὲ αὐτὸν ὕβρισεν.

1, 12 ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ ὠργιζόμεν καὶ ἐκέλευον αὐτὴν ἀπιέναι, ἵνα σύ γε, εἴρη,  
 ἐπειρᾷς ἐνιαῦθα τὴν παιδίσκην. inter ἐκέλευον et αὐτὴν videtur excidisse αὐθις. nam  
 paulo ante iam semel mulier abire iussa erat: καὶ ἐγὼ τὴν γυναῖκα ἀπιέναι ἐκέλευον. . .  
 ἢ δὲ τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἤθελεν. neque κακοφωνία quae oriri alicui videatur offensionī  
 est. cf. 25, 9 ἐνοι τῶν ἐκείνους ἐκβαλόντων αὐτοὶ αὐθις [sic Reiskius pro librorum  
 αὐτοὶ αὐτοῖς] τῶν τριάκοντα ἐγένοντο. similiter Thucyd. VI, 19, 2 παρελθὼν αὐτοῖς  
 αὐθις ἔλεγε, ubi vulgo contra librorum auctoritatem αὐτοῖς male mittebatur. idem  
 VII, 38, 2 ἐλπίζων αὐτοὺς αὐθις ἐπιχειρήσειν.

1, 40 πότερον ἦν μοι κρεῖττον αὐτῷ ἐτέρωθι δειπνεῖν ἢ τὸν συνδειπνήσοντά μοι  
 εἰσαγαγεῖν; unde suspensum sit αὐτῷ non video nisi si pro δειπνεῖν Lysias scripserit  
 συνδειπνεῖν.

1, 22 Σώστρατος ἦν μοι ἐπιτήδειος καὶ φίλος. τούτῳ ἡλίου δεδνκότος ἴοντι ἐξ  
 ἀγροῦ ἀπήνησα. εἰδὼς δ' ἐγὼ ὅτι τηρικαῖα ἀφιγμένος οὐδὲν ἂν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν  
 ἐπιτηδείων, ἐκέλευον συνδειπνεῖν. Cobetus et nuperrime Frohbergerus [in altero ora-  
 tionum selectarum volumine] ἂν ante καταλήψοιτο omiserunt, ille quia ἂν particulam  
 optativo futuri adiunctam 'foedissimum soloecismum' esse iudicabat, hic quia genus lo-  
 quendi illud idoneis exemplis defendere non posset. sed Ludovicus Herbstius [Ueber  
 ἂν beim Futur im Thukydidēs, Hamb. 1867] unum certe exemplum Thucydidi [V, 94]  
 restituendum esse docuit. idem demonstravit quinquies ἂν ad infinitivum futuri, ter  
 ad participium futuri ab eodem scriptore additum esse rectissime. apud Lysiam si ἂν  
 illud omitteremus, Euphiletus qui habet orationem certissime diceret Sostratum propter  
 vespertinum tempus nihil cibi [οὐδὲν τῶν ἐπιτηδείων] domi inventurum esse. si ἂν  
 additur, designatur res futura quae non est posita nisi in cogitatione Euphileti. quod  
 aptius videtur. nam ille nihil asseverare potest nisi posse fieri ut amicus vespera nihil  
 cibi domi inveniatur. accedit quod ἀφιγμένος participium idem valet atque εἰ ἀφίκοιτο.  
 neque ea conditionalis sententia talis est quae si a praesenti tempore penderet mutanda  
 esset in hanc εἰ ἀφίκεται [cf. Krüger. gram. 54, 12, 4]. nam Euphiletus amico fere  
 haec dixit κελύω σε συνδειπνεῖν· οἶδα γὰρ ἐγὼ ὅτι, εἰ ἡλίου δεδνκότος ἀφίκοιτο, οὐδὲν  
 ἂν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων. ceterum futurum cum ἂν particula copulatum  
 eademque quam commemoravi notione instructum habes apud Lysiam [31, 21] ubi de  
 matre Philonis improbi filii haec dicit Ἄρα δῆλον ὅτι εὖ ἤδει αὐτὸν οὐδὲ διὰ τὸ προσ-  
 ἦκειν αὐτῇ τὰ δέοντα ἂν ποιήσοντα;

